ORDINIS MEDICORVM

IN VNIVERSITATE LIPSICA

H. T.

PROCANCELLARIVS

D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ

THERAP. P. P. O. FACVLT. MED. DECANVS, ACAD. ET NATION. SAXON. SENIOR, DECEMVIR, MAIOR. PRINCIP. COLL. COLLEGA, ACAD. IMPERIAL. NATVR. CVRIOS. SOCIVS

PANEGYRIN MEDICAM

AD DIEM XXI. FEBR. A. R. G. MDCCLXXVII

INDICIT

ET

DE MAGIAE VANITATE


PROLVSIONE PRIMA

PRAEFATVR

OVIDIVS de remed. amor. Libr. I. v. 290.

Deme veneficiis carminibusque fidem.

7440 P620
A. 7020.





Etiamsi maximam promereantur laudem, qui acri studio in rerum naturalium disquisitione occupati sunt, dum ne minima quidem naturae producta, contemplatione sollertissima censent indigna, quin potius ex mira eorundem compage, in subtilissimis potissimum corporibus stupenda, adorandam maximi creatoris, et cognoscere et celebrare conantur maiestatem, multorum tamen eo progreditur quandoque, fastuosa dicam temeritas, an inconsulta imprudentia, vt, cum assidui naturae contemplatores tantum et ministri esse debeant, vltra hoc officium sibi sapere visi, ipsius potius magistri fieri contendant, atque nescio quid in corporibus naturalibus miri a se deprehensum, sibi aliisque persuadeant, quod miris quoque effectibus edendis, subtilioris suae sapientiae sagacitate detectis, suique arbitrii dexteritate producendis et gubernandis aptum sit. Fuit multorum omni tempore hominum ea indoles, vt vel ex signis rerum naturalium externis, vel ex variis earundem sic dictis

occultis qualitatibus, vel ex ſtatione earundem diuerſa, vel ex inſolito animalium clamore, auium volatu et cantu, vegetabilium praecociore aut tardiore, largiore aut parciore florendi ratione, aut maturationis diuerſitate, tempeſtatis varietatibus, e. ſ. p. [a]) neſcio quid prodigioſorum euentuum aut praeſagiri, aut haec omnia in vſum plus vnum, aut in aliorum damna quoque conuerti poſſe crediderint. Quis eſt, quin ſciat, antiquiſſima ſecula, quibus ſuperſtitio in omnium ingenia dominabatur, adeo iſtiusmodi vanis ineptisque nugis fuiſſe foecunda, vt quotidiana, atque maxime naturalia facta, aut phaenomena, portentoſi tamen quid ſignificare exiſtimarentur? quae ridiculae opiniones, infeliciſſimo traduce ad ſequiora quoque tranſierunt tempora, adeo difficulter ex mentibus nimium credulae, et infimi et ſublimioris ſubſellii turbae eruncandae, vt potius nouis ſubinde incrementis captis, epidemici mali ad inſtar proſerpſerint, indeque, quam prona hominum, in ludicra talia, et inuenienda, et aſſenſu ſuo comprobanda, ſint ingenia, manifeſtiſſimis conſtiterit documentis. Non adeo miror veterum in credendo leuitatem; etiamſi enim ſapientiſſimis viris perquam multis abundarent priſca ſecula, adeo ſtupida tamen erant vulgi capita, [b]) vt repudiato prudentiae regimine, quicquid ab aliis, auctori-

a) Ita ruſtici, ex meteoris, anni tempeſtates praedicunt. Si ſol feſto Purificationis Mariae ſplendeat, frigus diuturnius inſtare contendunt, quoniam

Sole micante
Die Purificante,
Nix erit maior quam ante.

Plura de his ineptiis habet FRIDR. FRIESE in Diſſert. *de curioſa et ſuperſtitioſa ruſticorum Phyſica*, Lipſ. 1691. habita.

b) *Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, nos diſcrimen, non diligentia,* CICERO pro Planc.

ritate vel leuissima conspicuis, vel auctoritatem affectantibus, atque fauorem populi dolosius venantibus pronunciaretur, oraculi instar haberetur; quando quidem potissimum antiquiorum sacerdotum eae erant artes, vt sub religionis specie, imperitiorum animos ad quaeuis credenda allicerent, atque eorum inscia facilitate, tanta cum audacia abuterentur, vt, quicquid insoliti, et supra vulgi captum susciperent, inter miracula, quorum edendorum sibi arrogabant potestatem, poneretur. Eo enim tempore, quo

carmina vel coelo poterant deducere lunam,
carminibus Circe socios mutarat Vlyssis, c)

omnibus istius generis impostoribus diuina credebatur esse virtus. Herbarum, quarum ope vel amor conciliari, vel restingui, odium induci, lemures et tristes vmbrae fugari, animus exhilarari, numina placari, iuuenilis alacritas in corpore effoeto senili restaurari possit, et quae sunt alia magicarum artium praesidia, insignis celebrabatur apparatus, d) lucro et autoritati venandae aptissimus. Irrepsit hoc vitium etiam in medicinam; neque mirum; quando quidem, cum nondum ars medica ab erroribus et praeiudiciis satis esset repurgata, cumque morborum, et causarum morbos facientium, recta deficeret cognitio, cumque nec anatomicae physiologicaeque disciplinae satis periti essent priorum temporum medici, atque eapropter partium humani corporis situm, connexionem, sanguinis circuitum, aliaque vitalium et naturalium functionum negotia et causas ignorarent, corporum etiam naturalium vires, vel per solam, ne exacte quidem

c) VIRGILIVS Eclog. VIII. v. 69.
d) Vid. FRIDR. MENZII Dissert. *de plantis, quas ad rem magicam facere crediderunt veteres*, Lips. 1705. it. Ill. IO. HENR. DE HEVCHER Dissert. *de vegetabilibus magicis*, Viteb. 1700. habita.

ſemper inſtitutam experientiam, vel ex aliorum ſaltem, fallacibus ſaepe traditionibus noſſent, praeternaturalium quoque euentuum veras origines nec ſcire poterant, neque efficacia ſatis iisdem opponere didicerant remedia, bona potius fide, quicquid ab aliis ante ſe factum et erratum fuerat, imitabantur. Quaecunque adeoque ſupra ipſorum erant captum, ſupranaturalibus etiam potentiis, diis nempe, vel daemonibus, vel aſtris adſcribebantur, ideoque ſupranaturalibus etiam, magicis videlicet artibus, depellenda credebantur. Ridiculum profecto eſt, quod apud M. P. CATONEM, aduerſus luxationes legitur remedium, per incantationem applicandum. *) Neque mirari conueniet, in nullam aliam magis diſciplinam, quam in medicam, adeo graues irrepſiſſe errores, quandoquidem in hanc ſolam, eandem diuerſarum ſectarum opinionibus corrumpendo, rationalia principia negligentius deſerendo, futilibusque viciſſim ineptiis atque argutis ſubtilitatibus deturpando, ſolique experientiae imprudentius fidendo, immani deſaeuitum fuit acerbitate. Extitiſſe enim omni tempore medicos, quales GALENVS ἀμεθόδους vocat, ſcientiae medicae perniciosiſſimos, fide digniſſimis hiſtoricorum conſtat teſtimoniis. Quoniam enim medicina ex Graecia potiſſimum petita fuerat, et pleraque morbo-

*) *De re ruſtica*, cap. CLX. Luxum ſi quod eſt, hac cantatione ſanum fiet, Harundinem tibi prende viridem, P. IV, aut V. (pedes) longam. Mediam diffinde, et, duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare: In alio ſ. f. (ſanitas fracto) *motas, vaeta, daries, dardaries, aſtataries, diſſunapiter*, vſque dum coeant. Ferrum inſuper iactato. Vbi coierint, et altera alteram tetigerit, id manu prende, et dextra ſiniſtra praecide. Ad luxum aut fracturam alliga, ſanum fiet, et tamen quotidie cantato in alio: S. F. vel luxato: vel hoc modo: *Huat banat iſta piſta ſiſta domabo dannauſtra*, et luxato. Vel hoc modo: *Huat haut haut iſta ſis tar ſis ardannabon dannauſtra.*

borum, medicamentorum, vnguentorum, cerasmatum, plantarum, gemmarum, instrumentorum nomina, graeca erant, quorum et plurima ad nostra transierunt secula, barbari, linguaeque graecae imperiti, derelictis purioribus fontibus, rivulos sectabantur, imo potius suo tantum ingenio, aut ineptis traditionibus innitebantur, indeque, qui paulo ante aromatarii erant, medicorum sibi arrogabant nomen, atque rei medicae et pharmaceuticae prorsus ignari, merdam pro pulvere, catapotia pro cataplastis, suppositoria pro bolis, muscerdam pro pipere dabant, suaeque piperatae experientiae, quotidiana per aegrorum mortes edebant documenta. Dispiciamus ea praeterea tempora, quibus barbaries, medii aeui temporibus dominabatur, neque sine horrore eorundem meminisse poterimus. Adeo profunda tunc obtinebat ignorantia, vt nuspiam tutus esset Priscianus. Monstrosissima audiebantur et legebantur nomina *anatomizationis*, *tumorositatis*, *geomorreae*. *dicatiui*, *diaetetionis*, *mordicatiui*, *clysterizationis*, *encolpizationis*, *flabotomationis*, et quae sunt alia stribliginum barbararum specimina. Ecquis a risu sibi temperare poterit, si quidem ex vetere quodam rei chirurgicae scriptore, ROLANDO intellexerit, chirurgiam a *cyros*, manus, et *gia*, actio, deriuari; si ex ROGERIO, lienteriam a *lienon*, lene, et *entrion*, intestinum, prouenire didicerit; si gonorrhoeam a *ganos*, genus, et *rays*, fluxus, nomen sortitam esse legerit? Cum autem ab ignorantia ad superstitionem proxima sit via, f) eo minus mirari conueniet, plus huic, quam rationali medicinae deditos fuisse, qui, cum vulgatissima rerum et morborum ignorarent nomina, causas quoque, morbum facientes, tam re-

mo-

f) Conferri merentur S. R. CRVSII Dissertationes *de superstitione*, Lips. 1766. habitae; nec non CONSTANTINI FRANCISCI de CAVZ libri duo *de cultibus magicis*, Vindobonae 1767. editi.

motiores quam propiores, neque cognoscere, neque diiudicare, nedum apris remediis depellere poterant. Ad absurda adeoque deueniendum erat remedia, quae portentosi quid significarent, atque credulam turbam in religiosam raperent admirationem. Vti enim deitatis vana praesumtuo, multos olim, artis admodum peritos, ita infatuauerat, vt, quod MENECRATES faciebat, se Ioui similes putarent, g) qua simili arrogantia EMPEDOCLES quoque corruptus legitur, h) ita et vicissim ii, qui neque doctrinae celebritate, neque factorum praestantia, aliquam consequi poterant laudem, nequiore modo, et per defraudationes, aliquam venari conabantur famam, quae, cum per ora vulgi, cuius fauor primum captandus est, facile ad superioris sortis homines volitet, audacissimis istis deceptoribus fructuosissimum largitur quaestum, illos facile ad similia coepta allecturum. Inde est, quod, qui amuletis, characterismis, sympatheticis medicaminibus, idque genus miris modis, morbos curari posse, non solum contendunt, verum et eorum curam hac methodo aggrediuntur, minoris saepe, quam exercitatissimi in arte rationali viri, aestimentur, maxime, si quando fortuito casu res bene euenerit. Istae autem, de magiae praestantia, inprimis de verborum virtute magica praeconceptae opiniones, quarum potiores fautores erant Platonici, et post illos AGRIPPA, i) PARACELSUS, k) aliique, tantam in multorum mentes habuerunt, et adhuc forte habent vim, vt, quandoquidem literis et syllabis,

g) ATHENAEVS Libr. VIII cap. 13.
h) VALER. MAX. Libr. VIII.
i) Cuius *Philosophia occulta* anno 1533. prodiit.
k) Testimonia de Paracelsi proteruitate, atque ad res magicas procliuitate, vberius legi poterunt apud ARNOLDVM *in der Ketzer Hiſtorie*. Part. II. Libr. 16. cap. 22. nisi Paracelsi scripta perlustrare volupe fuerit.

bis, arctam cum corporibus coeleſtibus et mentibus humanis connexionem eſſe, ſibi perſuadent, notiſſimam iſtam cabbaliſticam artem, in qua hodienum adhuc Iudaeorum gens excellere creditur, incredibili efficacia, tum in futurorum euentuum praeſagiis ferendis, tum in morbis curandis, pollere exiſtiment. Has artes, etiamſi a prudentioribus olim iam contemtas,[l]) ſemper tamen imprudentia nutriuit, arrogantia auxit, atque temeritas et perſuadendi artificium in mentes fatuorum tranſtulit, vnde infeliciſſimo traduce, per omnia ſecula, ad noſtra quoque deuenerunt tempora, et, quis credat? niſi ſit pro teſte experientia, illas quoque ſubinde terras, in quibus ſapientiae vbertas, et religionis puritas primas tenent, doloſo ſuo veneno infecerunt. Non de maiorum noſtrorum, priſcorum Teutonum, ridiculis et magicis artibus exponere animus eſt, quibus a Druidibus, Gallorum olim magis, poſtmodum in Germania ſacra facientibus, decipi ſolebant, recentiora potius teſtantur exempla, nondum opinionem iſtam de daemonibus,[m]) magicis artibus, aut exorcismis etiam, ex mentibus prudentiorum exturbari potuiſſe, etiamſi pluribus euentibus, fraudes et vanitates iſtiusmodi portentoſorum factorum, omnium detectae fuerint oculis, potiſſimum, cum curatiore per iudices ſagaciores inſtituta exploratione, totum miraculoſorum iſtorum factorum aedificium ſubrutum fuerit. Vix praeſtantius hac de re extitit documentum, quam illud de puella quadam daemoniaca, aliquot

l) Ipſe OVIDIVS, magicas artes nullius eſſe pretii fatetur, *de remed. amor* Libr. I. I. v. 249.

Fallitur, Aemoniae ſi quis mala pabula terrae,
Et magicas artes, poſſe iuuare putet

m) Conf. FRIDR HOFMANNI Diſſert. *de diaboli potentia in corpora*; it. IO. PHILIPPI EYSELII Diſſert. *de fuga daemonum*, prior Halae 1737. emendatior edita, altera Erfordiae 1714. habita.

quot abhinc annis per omnem fere mundum diuulgatum portentum, plus mille testibus praesentibus visum et auditum, imo adeo grauibus testimoniis publicis corroboratum, vt ne quis vel minimo dubio superesse videretur locus. Fraudem nihilo minus iam facile suspicabantur, praeter alios prudentiores, medicorum quamplurimi, cumque ex his etiam nonnulli, vt testes et exploratores insolitae huius rei essent, expeterentur, his tamen petitis adnuere recusabant, propterea, quod non leues rationes esse, ex principiis artis intelligerent, quibus tuto coniici poterat, neque incantationem, neque obsessionem, sed physicum hysterici mali statum, aut malitiae aut simplicitati iunctum, omnium enthusiasticorum istorum factorum esse causam. Quam opinionem quoque ipso tandem confirmatam fuisse euentu, paucos forte latet. Viro enim, quem apperere videbatur, nuptum data fuit ista puella, atque daemon iste contumax, qui exorcismo seuerissimo eiici non poterat, nescio an vinculi coniugalis durioris impatiens, an suauioris amans? breui disparuit, vel certe sopitus fuit.[n]) Longe minoris momenti erat res, super qua tamen, aliquot ab hinc annis, iudicium ab Ordine nostro ferendum fuit; quando quidem adeo pertinax erat alicuius societatis, quae sclopetis metam petendo, super praemiis certabat, in oppido quodam praeiudicium de magica *lapidis ceraunii* virtute,[o]) cuius ope, quidam ex sociorum numero, globulum

n) Contraria ratione, apud comicum LE GRAND, daemon audito feminae nomine, fugatus legitur. Vid. eius comoedia, *Belphegor*.

o) De huius concreti lapidei, inter fulgura et tonitrua, vti vulgo existimatur, condensati, virtute magica, qua somnus prouocari, victoria in praelio reportari, infantes ab herniis praeseruari et curari queant, similibusque ridiculis commentis, conferatur FRIDR. HOFMANNVS, *in Claue ad Pharmacopoeiam Schroederianam*, nec non IO. ESAIAE HOECHSTETTERI Dissert. *de lapide fulminari*, Altorfi. 701. habita-

bulum plumbeum ita adornasse, constanter credebatur, vt peculiarem insimul potentiam, metae centrum attingendi, in ipsum transfudisse argueretur; in cuius rei testimonium, ipse globulus nobis lustrandus transmittebatur, cui, vel casu, vel consulto, exiguum admodum frustulum lapilli tantisper transparentis, cum ceraunio tamen nequaquam conuenientis, quin potius pro silice habendi, inter fundendum admixtus deprehendebatur. Etiamsi ergo ciuis iste, praemiis suis et honoribus non solum priuandus, verum etiam, qui propter illicitam hanc, quae ipsi imputabatur artem, ex honestae societatis numero eiiciendus sit, dignus iudicaretur, ab hoc tamen crimine, vigore responsi hic adiecti, merito liberandus censebatur.

Aus denen, Uns zugesendeten, vor dem Rathe zu B----da, wieder den Feueröffen-Kehrer I. G. Kn. ergangenen Actis denunciationis, *haben Wir ersehen,*

welchergestalt gedachter Kn. bey dem gewöhnlichen Scheiben-Schiessen, den nächsten Schuss am centro *der Scheibe gethan, und deswegen zum Schützen-Könige ernennet, nachhero aber beschuldiget worden, als ob er dasselbe Schützen-*beneficium, *durch unerlaubte,* fol. 30. *abergläubische,* fol. 31. *verbothene und zauberische Mittel,* fol. 32. *an sich gebracht habe, indem er in die Kugel ein Steingen, welches man etwa für einen Donnerkeil oder Hagelstein halten möchte, künstlich einzugiessen gewust; bey welcher Eingiessung er allerdings abergläubische, und wenigstens auf eine* magiam naturalem *hinauslaufende Dinge, vorgenommen haben müsse,* fol. 35. b *um mit derselben Kugel das* centrum *der Scheibe desto gewisser zu treffen.*

Wann Wir nun hierüber, und insonderheit über die Frage:

Ob, und in wieferne dieſes, fol. 31. ſequ. *beſchehene Anführen, in der Wahrheit gegründet ſey?*

ein gewöhnliches reſponſum *zu ertheilen erſuchet worden; So haben Wir, nach gepflogener* collegialiſcheu *Ueberlegung, folgendes zu antworten nicht ermangeln wollen.*

Ob Wir gleich, weder beſtimmen können, was für beſondere Abſichten, Kn. bey der Hineingieſsung des Steinsgens in die Kugel, (welches Steingen wir für einen Quarzartigen Kieſelſtein halten) gehabt haben mag, noch auch die Möglichkeit, daſs er dabey vielleicht abergläubiſche Handlungen vorgenommen haben könne, ſo ſchlechterdings ablängnen mögen; Und ob es auch gleich mit Recht das Anſehen haben kann, daſs man ſich in der Beurtheilung natürlicher Dinge, wenn ſie auch wunderbar ſcheinen ſolten, nicht übereilen ſolle, indem die Erfahrung lehret, daſs es gar viele Würckungen in der Natur giebt, deren Urſachen wir entweder gar nicht erforſchen könnnen, oder da wir doch, wie die Würckung von ihrer Urſache abhange, und von ihr hervorgebracht werde, nicht erklären können; So iſt doch hierbey in ernſtliche Betrachtung zu ziehen, daſs man wegen der bloſsen Möglichkeit, und bey gänzlicher Ermangelung tauglicher Beweiſs-Gründe, keinen Menſchen das ſo ſchwehre Verbrechen der Zauberey, und des verdammlichen Aberglaubens, Schuld geben dürfe; andere beſondere Abſichten aber eines Menſchen, ſie mögen Nahmen haben wie ſie wollen, die an ſich nothwendige Folge natürlicher Würckungen aus ihren Urſachen, nicht verändern mögen, und denn auch die bloſse Hineingieſsung des Steingens in die Kugel, das nähere treffen in das centrum *der Scheibe, nicht nur nicht befördern kann, ſondern vielmehr demſelben hinderlich ſeyn muſs, immaſsen die Kugel dadurch leichter wird, und auch das* centrum *der Schwehre derſelben, alsdenn nicht einerley iſt mit dem* centro ſphaerae ipſius. *Aus welchem allem Wir demnach,*

Daſs

Daſs das, fol. 31. ſequ. *beſchehene Anführen, in der Wahrheit nicht gegründet ſey,*
bey gegenwärtiger Beſchaffenheit derer Denunciations-Acten *billig erachten.*

Quod ſi adeoque cuncta, quae ſub magiae naturalis aut artificialis nomine habentur phaenomena, ſecundum phyſicas cauſas diſquiramus, complures iſtiusmodi effectus, nonnullis miros viſos, non incantationibus, aut diabolicis praeſtigiis adſcribendos eſſe, quin potius ipſis cognitis peculiaribus nonnullorum corporum viribus, imo ſaepius etiam vanis iactatorum oſtentationibus deberi, aut etiam, aliorum ſaltem deludendorum ergo, ſola expeditiſſima volubilitate produci, atque ab inſciis immerito in crimen verti, manifeſte patebit.

Pleniorem, hoc de argumento iterum exponendi opportunitatem, proxima dabit ſcriptiuncula. Iam, miſſis hiſce ludicris, ad ſeria progrediendum eſt, quandoquidem

VIRVM CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM

DOMINVM

IOANNEM CHRISTIANVM FRIDRICVM AEMILIVM HENDRICH,

MEDICINAE BACCALAVREVM DIGNISSIMVM

nunc commendare conuenit, qui per omnes academicae vitae ſtationes, ita ſibi eundum eſſe intellexit, vt poſthabitis vanitatum ineptiis, ſolidam potius artis medicae doctrinam, a praeſtantiſſimis acciperet praeceptoribus, atque in ipſorum ſcholis egregie formatus, profectuum quoque ſuorum pro-

batissima ederet documenta. Quae omnia, quam bono cum consilio susceperit, ex vitae eius ratione, breuibus vti moris est, reddenda, intelligetur.

Natus est *Cizae*, anno huius seculi post *quadragesimum*, *octauo*, die *octauo* Aprilis; patre, Viro Exper. IO. GOTTLIEB, Medicinae Doctore, nunc Wurcenae medico obstetricio, atque Senatorii Ordinis membro designato; matre IOANNA MARIA MAGDALENA, e gente PFEIFFERIA, quos parentes optimos, per Dei gratiam abhuc superstites, pius atque gratus veneratur. Prima religionis atque literarum fundamenta posuit *Schemelius* et *Wagnerus*, quorum industria bene informatus, patria sede deserta, puer adhuc, vna cum tota gente Wurcenam abiit, vbi per triennium tam publicis quam priuatis scholis Rectoris M. *Teucheri* interfuit, cuius opera, ad studia altiora praeparatus, anno huius seculi LXVII. mense Februario a b. S. R. BAHRDTIO, tunc Rectore, ciuium academicorum numero adscriptus fuit; sequente vero anno Lipsiam petiit, et b. WINCLERVM in philosophia, et in physica experimentis illustrata; in logica et metaphysica Ampl. SEYDLIZIVM in morum doctrina b. GELLERTVM, nec non in variis autoribus explicandis Ampl. CLODIVM audiuit. Historiae philosophicae addiscendae causa, S. R. BVRSCHERVM, academiae fasces nunc tenentem, adiit. Propius dein ad medicum studium accessurus, in physiologia et anatome, Exc. POHLIVM, grauissimum Ordinis nostri Seniorem, Exc. BOSIVM, HAASIVM, et b. REICHELIVM, praeceptores habuit; a b. LVDWIGIO pathologiam, therapiam febrium, medendi methodum, chirurgiam et botanicam accepit; Exc. KRAVSIVM in pathologia, therapia, clinicis institutionibus et chirurgia, sibi fidelem contigisse praeceptorem, gratus reminiscitur; in chemia,

mia, materia medica, arte obstetricia et botanica, Exc. GEHLERVM est sectatus; collegio chirurgico-practico, in theatro anatomico, duce Exc. BOSIO interfuit, et in methodo fascias applicandi, b. REICHELII praedicat instructionem; aquarum medicatarum virtutes ex b. TILLINGIO didicit, nec non Exp. PLATNERVM, de physiologia, materia medica, atque corpotis cum anima commercio exponentem, cum fructu audiuit; in Collegiis praeterea examinatoriis, disputatoriis, et elaboratoriis, ab Exc. POHLIO et BOSIO exercitus. Meis denique etiam scholis, in quibus de materia medica, pathologia, medicina forensi, et medicamentorum virtutibus praecepi, assiduus interfuit auditor. Ita bene formatus, atque stipendio Quelmalziano suffultus, anno huius seculi LXXV. coram Ordine nostro comparuit, atque in doctrinis theoreticis tentatus, post res *bene* peractas, Baccalaurei honores tulit; ineunte vero hoc anno, in lectionibus, pro Licentia dictis, *de corporis humani fluidis, eorumque organis se- et excretoriis*, apposite admodum disseruit, paucis diebus post in altero examine ad quaestiones practicas ita *Recte* respondit, vt ipsi aditus ad summos honores capiendos concederetur, quos Dissertatione publica *de oleosis pinguibus rancidis* Praeside Exc. GEHLERO, Collega coniunctissimo propugnanda, promerebitur.

His omnibus praeclare peractis, hoc solum Candidato nostro superest, vt honoribus condecoretur luculentissimis, quos industria et doctrina sua promeruit. Horum capiendorum copiam, ego ipsi publice faciam, atque pro ea, quae clementissime mihi demandata est, Procancellarii autoritate, ipsum proxima *Veneris* die, XXI. *Febr.* in Licentiatum medicinae inaugurabo, atque plena instruam potestate, summum Doctoris gradum sumendi. In qua solennitate, propter

pter parum commodae tempestatis inclementiam, breui sermone, *de breuitate, medicum decente* praefabor. Neque tamen illecebrosis incantationum artibus, aut magicis mihi opus esse arbitror molimimbus, quibus voto meo potiar, si quidem *Vestram*, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REITVBLICAE GRAVISSIMI, GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI VNIVERSITATIS HVIVS LITERARIAE CIVES, frequentem impetrare cupiam praesentiam: hoc potius, de VESTRA dudum persuasus benevolentia, solis his meis obseruantissimis VOS daturos precibus confido, vt quidem ex patiente VESTRA audientia, luculentissima pariter ac nobis honorificentissima, VESTRI in Ordinem nostrum atque me propensi affectus, capere queam documenta, me ad publicas quoque grates, VOBIS ea propter pia mente decernendas excitatura.

P. P. Dominica Quadragesimali prima, *Inuocauit* dicta, A. R. G. MDCCLXXVII.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA